

fuerat ad ea, sicut adseruerunt, per Regiam maiestatem transmissus. Et cum eis fuerunt etiam praesentes egregij viri domini Paulus de Georgijs miles, et Jacobus Raduchus Legum Doctor, communis Jadrae Ambaxiatores, ut asserebant ex una parte; et honorabiles et egregij viri domini Zacharias Contareno, Joannes Gradonico et Michael Mauroceno Procuratores Ecclesiae Sancti Marci, cives Venetiarum, Syndici, Procuratores, Actores, Ambaxiatores et nuntij spetiales Illustris et Magnifici Domini Domini Andreae Contareno, Dei gratia Ducis Venetiarum etc. et consiliariorum eius, et communis Venetiarum, nomine et vice praefatorum Illustris et Magnifici Domini Ducis, consiliariorum et communis Venetiarum, habentes ad infrascripta plenum et sufficiens mandatum, ut patet publico instrumento, scripto manu Leonardi de Anzetellis, de Venetijs notarij, sub anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indictione quarta, die quinta mensis Aprilis; cuius tenor inferius est insertus etc. — — — Item cum in pace antiqua, alias facta inter praefatum Serenissimum dominum Regem et commune Venetiarum, contineatur: Quod dominus Dux et commune Venetiarum effectualiter renuntiant de facto in manibus domini Regis Ungariae et successorum suorum toti Dalmatiae; nuncque dicti Syndici, Procuratores et Ambaxiatores dicti domini Ducis et communis Venetiarum, nomine dictorum dominorum Ducis et communis Venetiarum, in praesenti pace renuntiant effectualiter, de iure et de facto, in manibus supradictorum dominorum Episcoporum, Procuratorum et actorum dicti domini Regis et successorum suorum in Regno et Corona, toti Dalmatiae, a medietate scilicet Carnarij, usque ad fines Durachij, tamquam ab antiquo de iure regno et Coronae Ungariae spectanti et pertinenti. Item fuit actum inter dictas partes, quod super facto Standalis Sancti Marci de Seigna, et iurisdictionis Consulatus, quam commune Venetiarum in loco Seignae obtinet, sit et esse debeat in electione Serenissimi Domini Regis et Dominorum Comitorum Seignae; simul in hac forma: videlicet, quod si disposuerint vel elegerint Standalium, et Consulatam de Seigna tolli, quod hoc casu dicti domini Comites de Seigna carere debeant omnibus et singulis beneficijs, honoribus, privilegijs, pactis et conventionibus, quae haberent in Venetijs et cum communi Venetiarum, nisi tunc ipsi Domini Comites Seignae ostenderint se in Venetijs et cum communitate Venetiarum habere alia privilegia, honores, beneficia, pacta et conventiones, alia occasione, quam occasione dictorum, standalis et Consulatus, quae dicti de Venetijs habent in loco Seignae, quo casu illa alia, quae alia occasione ostenderent se habere, etiam in posterum habeant, non obstante remotione dictorum Standalis et consulatus. Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes: Quod omnes subditi Regij, et praecipue Jadratini, tam in civitate Venetiarum, quam in quibuscunque terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari, et mercationes facere, et alia quaecunque, quae, et prout ante praesentem guerram facere poterant. Et quod dicti subditi Regij, et praecipue Jadratini, per commune Venetiarum, et eius Officiales, benigne et favorabiliter tractentur, sine aliqua iniuria vel offensa. Sane semper intelligendo, quod per praesens Capitulum nec aliqua in ipso contenta, non intelligantur dicti subditi regij seu Jadratini, navigare seu mercari posse in dictis buccis, nec alijs locis in praesenti instrumento prohibitis. Et versa vice dicti Veneti et subditi eorum in regno Ungariae, et terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari, et mercationes facere, et alia quaecunque, quae, et prout